







DISPVTATIO IVRIS ECCLESIASTICI <sup>1072</sup>  
De <sup>1702 80</sup>

**RENOVATIONE**  
**VOCATIONIS RE-** <sup>16</sup>  
**SIGNATAE,**

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**D N. FRIDERICO**  
**WILHELMO,**

REGNI BORVSSICI, ELECTORATVS BRAN-  
DENBVRGICI ET PROVINCIARVM HEREDE,  
ET RELIQA,

*In Regia Fridericiana,*

PRAESIDE

**DN. IVSTO HENNINGO** *Böhmer*

I. V. D. & PROF. PVBL. EXTRAORD.

IN AVDITORIO MAIORI,

D. *Decembr. MDCCII.*

publico & placido eruditorum examini sistit

**IOANNES CHRISTOPHORVS VVLTPIVS,**

Vinarientis.

---

RECVS. HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



1072

RENOVATIONE  
VOCATIONIS RE-  
SIGNATAE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS DOMINI

D. N. F. R. I. D. E. R. I. C. O.  
WILHELMO

REGNI BORVNICI ELECTORATVS BRAV-  
DARVVICI ET PROVINCIARVM HERED.

In Regis Præsidio

DR. IVSTO HENNINGO  
I. V. D. & PROF. PUBL. EXTRAORD.

IN AULICO AULICO

publico & plurius eruditorum examini sistit

IOANNES CHRISTOPHORVS VALTIVS  
Vincens

REGIS MAJESTATIS  
Lincus Christiani Handkeri Acad. Typog.





SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO

1073.

DN. ERNESTO  
AVGVSTO,

DVCI SAXONIAE, IVLIAE,  
CLIVIAE ET MONTIVM, ENGARIAE ET  
WESTPHALIAE, LANDGRAVIO THVRINGIAE,  
MARCHIONI MISNIAE, PRINCIPI COMITI  
HENNEBERGENSI, COMITI MARCAE ET RA-  
VENSBERGAE, DYNASTAE IN RA-  
VENSTEIN &c. &c.

DOMINO VVO CLEMENTISSIMO

S.



Quidem diffiteri nequeo, opti-  
mas artes, quæ animum qui-  
buscunq; scientiis expoliunt,  
non indigere externa com-  
mendatione, sed intus possi-  
dere propriam, quæ efficacissime ita trahit  
ani-



animum ad' sui amorem, vt bonæ mentes  
huic resistere haud possint; Latitat tamen  
simul magna vis in exemplis magnis, &  
quo magis artibus studiorum elegantiori-  
bus sese dicant PRINCIPES, eo magis  
subditi & alii rapiuntur ad imitationem  
quandam haud spernendam, vt nesciam,  
an inique huc applicem illud Poetæ:

*Regis ad exemplum totus componitur  
orbis.*

Quid enim aliud sunt magna exempla,  
quam viuuda doctrina? Quæ in tantum ani-  
mum conuincit, vt etiam reprobæ mentes,  
quæ alias nullo bonarum artium ducun-  
tur amore, illam intra se admittere, & veri-  
tati locum dare inuitæ teneantur; quin sic-  
uti exemplis bonis respublica melius gu-  
bernatur, quam infinitis legibus, ita sæpe  
vnicum exemplum bonum aliis plus pro-  
fuit, quam aliorum doctrinæ quotidianæ.  
Non aberrauero a via, si dixerim, Heroi-  
cum TVVM & Maximum exemplum,  
SE-



1074.  
SERENISSIME PRINCEPS, quod  
huic vniuersæ Academiæ præbuiti TVO  
auspicatissimo aduentu, eo maiorem vim  
maiusque pondus habere in animis omni-  
um, quotquot heic loci studiis sese mancipa-  
runt, quo magis summa veneratione TE  
intuentes in admirationem quandam ra-  
piuntur. Certissimum indicium huic rei  
præbuit summa illa expectatio, qua omnes  
aduentum TVVM votis humillimis ex-  
petierunt statim ab illo tempore, quo no-  
bis spes de illo facta est. Neque vero hæc  
nobis frustrata, sed ea ante aliquot dies in  
nos redundauit felicitas, quam forsan alii  
inuidentibus oculis intuentur, nos vero  
humillima prosequimur veneratione:  
Quemadmodum vero TVA Præsentia  
ingentem huic Academiæ splendorem at-  
tulit, ita quoque ardor TVVS, SERENIS-  
SIME PRINCEPS, ad Studia, quibus  
hic tempus TVVM destinasti, in aliis quo-  
que excitabit nouum feruorem ad eadem,  
vt,



vt si non TE optime præeuntem assequi  
possint, certe tamen TVO exemplo Au-  
gustissimo admoniti strenue cursum Stu-  
diorum suorum, quantum fieri potest, reno-  
vare allaborent. Quæ omnia mente per-  
pendens & Clementia TVA inusitata ni-  
xus, TVAM SERENITATEM ego  
primus occasione huius Speciminis publici  
alloqui, illudque SERENISSIMO TVO  
NOMINI consecrare audeo. Nam præ-  
ter has communes rationes, quæ omnes  
hic Studiorum causa commorantes æque  
respiciunt, sunt etiam mihi adhuc peculia-  
res & propriæ causæ, quæ ad hoc propo-  
situm mentem meam induxerunt. Fruor  
enim illa singulari felicitate, vt me ex sub-  
ditorum TVORVM humillimorum nu-  
mero agnoscere possim, imo etiam mente  
humillima recordor, patrem meum pie de-  
functum, hanc, dum viueret, obtinuisse gra-  
tiam, vt in SERENISSIMORVM DV-  
CVM Saxo Vinariensium Aula publicum  
mu-



munus obire potuerit. Cuius post pium obitum singularem plane clementiam, & moestissima mater & nos carissimo patre nimis mature orbati liberi, experti sumus, quam etiam inusitatam plane gratiam devotissima semper reputabimus mente.

Hanc itaque a TE, SERENISSIME PRINCEPS, humillime exoro gratiam, vt in tesseram deuoti mei animi TVAE SERENITATI has Studiorum meorum primitias mihi liceat consecrare. Accipias eas Clementissima mente, meque illa gratia dignare, qua alias Subditorum TVORVM humillimorum preces excipere consueuisti.

DEVS vero Stator Imperiorum suscipiat SERENITATEM TVAM cum Augustissima DOMO SAXO-VINARI-ENSI sua benedictione, & Felicitati TVAE





**TVAE** addat diuturnitatem, vt sub Diuinis  
alis **AVGVSTISSIMA DOMVS** quoti-  
die capiat incrementa, resque & publica  
& litteraria radiis **Tvis** exsplendescat.


# **SERENITATIS** **TVAE**

Halæ d. VII. Decemb.  
Anno MDCCII.

Subiectissimus seruus

**IOANN. CHRISTOPH. VVLTPIVS.**





1078.

I. N. I.



**N**ulla res aut negotium su-  
sciendum inter Christianos, accuratio-  
rem & magis seriam requirit conscientie  
explorationem, quam vocatio ad divina  
Ministeria, quæ imprimis vt sit legitima,  
hoc pro Characterè habere debet, vt sit  
diuina. Externæ certe vocationes sunt

*Vocatio ad  
officia sacra  
debet esse  
diuina.*

fatis fallaces & provenire possunt ex scopo haud adeo probabili, adeoque qui hisce saltim innititur, haud tranquillam habebit conscientiam. Hinc Theologi imprimis hic anxii & solliciti esse solent, vt de vocationis diuinitate sint certi, quam sollicitudinem quidem nemo sanus improbabat, modo memores sint dicti Paulini: *Nemo decipiat se ipsum*. Recte proinde hic commendat Danhauerus in *Theol. Conscient. p. 2. Dial. 3. p. 731.* orationem deuotam *internumque cordis & spiritus testimonium*, ita vt externam vocationem confirmet interna Carpz. *Jurispr. Consi. lib. 1. tit. 15. def. 62. n. 4.* A Deo enim non vocati sunt instar luporum, qui non in gloriam Dei, sed proprii commodi vel honoris & luxuriæ gratia pascere gregem desiderant, cum contra ex diuinitate vocationis conscientia afflicta ingens solatium hauriat. Danhauer. *cit. l. qu. 9. ab init. p. 728.*

§. II. Sed hæc quidem ad eius, qui ad ministerium sacrum, deputatus, conscientiam spectant, adeoque Leges Ecclesiasticæ, quamuis circa vocationem ministrorum plurima ordinare soleant, tamen eousque peringere nequeunt, vt in vocato semper illud requisitum impleatur & adsit, quia hic diuinæ

*Quid Leges  
circa voca-  
tiones mini-  
strorum im-  
primis ob-  
seruare debe-  
ant.*

A

dire-



directioni & prouidentia multum committendum: Interim tamen facilius hoc concedi potest, per Leges Ecclesiasticas posse impedimenta varia e medio remoueri, quæ alias vocationi, quo minus esset diuina, euidenter obstarent. Inde Legibus hisce prohibentur, Simonia & commercia circa vocationes, imo alii modi per casus obliquos adspirandi ad vocationem de quibus quosdam adducit Dn. Præf. de Iure Paroch. Sect. 3. c. 1. conf. Balduin l. 4. c. 5. cas. 3. inf. Ziegl. De Episcop. lib. 2. c. 5. §. I. Vnde & iure Canonico passim improbantur modi pessimi & artes clandestinae, quibus eiusmodi vocationes subdolæ procurantur c. 14. D. de c. illud. C. 8. qu. 2. c. 5. D. 65. quo imprimis quoque refero laudatissimam illam Imperatoris Leonis constitutionem in l. 37. C. de Episc. ad Cler. quam frustulatim nobis quidem tantum exhibet Tribonianus, omnino autem meretur, vt hic integra adiciatur, vt appareat, quid prouidentia Legislatoria hoc in negotio imprimis relictum sit. *Si quenuquam, inquit, vel in hac Regia urbe vel in ceteris Prouinciis, quæ toto orbe diffuse sunt, ad Episcopatus gradum provehi Deo Autore contingeris, puris hominum mentibus nuda electionis conscientia sincero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum Sacerdotii pretii venalitate mercetur, quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, aestimetur. Profecto enim quis locus tutus & quæ causa poterit esse excusata, si venerande Dei templa pecunias expugnentur? quem murum integritatis aut vallum fidei prouidebimus, si auri sacra fames in penetrata veneranda proferpat? quid denique cautum esse poterit aut securum, si sanitas incorrupta corrampatur. Cesset Altaribus imminere profanus ardor auaritia & a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque CASTVS & HUMILIS nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocunque loco peruenerit, OMNIA VITAE PROPRIAE INTEGRITATE PURIFICET. Nec precio sed precibus ordinetur Antistes. TANTVM AB AMBITV DEBET ESSE SEPOSITVS, VT QVAERATVR, COGENDVS ROGENDVS RECDAT, INVITATVS EFFUGIAT, sola illi suffragetur necessitas excusandi: Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi*

*vocatio ad  
Quirina mini  
teria non de  
et esse procu  
ata.*



fuerit ordinatus inuitus, Cum sane si quis hanc sanctam & venerandam Antistitis sedem pecunia interuentu subiisse, aut si quis, ut alterum ordinaret vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis & lesæ Maiestatis accusatione præposita a gradu sacerdotii retrahatur, nec hoc solum deinceps honore priuari, sed perpetue quoque infamiae damnari decernimus, ut eos, quos par facinus coinquinat & æquat, virosque similis poena comitetur. Hactenus Leo Imperator. Conf. Ziegl. *tr. de Clerico resitente*, qui instar commentarii ad hanc Constitutionem esse potest Verum ne dicam de aperto mercimonio sacrorum officiorum, certe non desunt nostris temporibus artes variæ & clandestinæ inuolandi Ministerium sacrum. Imo ab impiis & carnalibus adhuc nouæ excogitantur cautelæ prætextus, & colores, ut fere hic applicare possis assertum Annæi Roberti rerum iudicatar. *lib. i. c. 7. iniquientis*: *Vanae sunt & superflue hoc tempore ille Canonum Constitutiones, quibus sub graui poena interdicitur, ne quis ad sacerdotia, sacros ordines aut dignitates Ecclesiasticas inuitus promoueatur*; Neque enim Coruos aut ceteras aues, quæ laceratione corporum aluntur, tam rapido volatu ad cadauer per acrem ferri videmus, quam egrotante Clerico beneficii opimi possessore coruus beneficarios cernimus, aut ad extorquendam a languente resignationem & spolia adhuc spiranti detrahenda, aut desperata resignatione ad Regis Aulam Curiamue Romanam incredibili celeritate aduolare.

§. III. Ut itaque legitima sit vocatio, abesse debet omnis suspicio, sese populo vel ecclesiæ obtrudendi, quin potius id agendum serio, ut explorata voluntate diuina tam arduum munus vocatus suscipiat. Fit autem vocatio vel *immediate*, a DEO, quemadmodum Paulus de se testatur, se scilicet neque ab hominibus neque per homines esse vocatum ad Gal. V. 1. Imo talis Apostolorum vocatio fuit, qualem tamen hodie vix admittent Theologi: vel *MEDIATE*, quæ quidem etiam ex directione diuina dependet, sed peragitur mediantibus hominibus vel Ecclesia tota. Sic *Act. XX. vers. 28.* Episcopi Ephesini ab Eccle-

Vocatio quæ duplex?



clesia vocati erant, & tamen Apostolus dicit, Spiritum Sanctum eos constituisse. Verum hic summam omnino cautionem adhibendam esse Theologi monent; Nam & multitudo conspirantium non satis certum reddit vocatum de diuinitate vocationis, nisi internum conscientiae testimonium adsit, de quo post. Bene Danhauer. in *Theol. Consc. cit. l. p. 733. Testimonium externum fallere potest & redolere affectus carnales, internum non item. Saep̄ elogio humano liber fit Canonicus, qui in rei veritate est Apocryphus conf. Farnou. De Minister. l. i. c. 7. p. 67.*

vocatio etiam  
pertinet  
translationem.

Quo modo  
translatio  
eri debeat.

§. IV. Ceterum vt ad scopum perueniamus, propter quem haec Disputatio conscripta, vocatio omnis ad Ministeria sacra vel fit ita, vt talis, qui haecenus gregem non habuit, ei praeficiatur, vel vt Pastor Ecclesiae alicui iam deputatus ad aliam vocetur, & *translatio* dici solet. Monent autem Canonēs in *tit. X. de translat.* non facile & sine graui causa talem translationem fieri posse, quod quidem etiam nostri Theologi & Jcti non diffitentur, sed ex diuersis fundamentis. Canonistae enim se fundant in ficto aliquo seu simulato matrimonio, quod contractum esse dicunt inter Episcopum & Ecclesiam, Ziegl. *ad Lancell. lib. 1. tit. 18. §. 2.* Ast Nostrates talia figmenta haud agnoscunt, sed respiciunt ad mores primitiuae Ecclesiae, in qua *temerariae translationes* imprimis sunt prohibitae propter auaritiam & ambitionem, non diffitente Duarren. *de SS. Ministr. Eccl. l. 5. c. 3.* Cum itaque in hac translatione noua vocatio lateat, hic quoque, quae iam in genere dicta sunt de vocationis qualitate, primario attendenda esse existimo, & quidem hic imprimis caute agendum, quia simul de relinquere ita tenetur gregem haecenus sibi concreditum, vbi maius scrutinium conscientiae fieri debet. Non hoc tamen volo, plane translationem talem fieri non debere, quemadmodum Eusebius Episcopus Caesariensis pertinaciter, resistit, Niceph. *lib. 8. hist. Eccl. c. 45.* Socrat. *l. 1. c. 24.* Sed translationem talem debere esse *μετάθεσις*, non *μετάθεσις*, translationem, non transuolationem Ziegl. *cit. l.* Optime hoc declaratur in *c. scias. C. 7. q. 1.* vbi dicitur: *Non mutat sedem qui*



qui non mutat mentem, i. e. qui non causa auaritie aut dominationis aut proprie voluntatis vel sue delectationis emigrat de Ciuitate in Ciuitatem, sed causa necessitatis aut utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas vnius utilitati aut voluntati preferenda est. Aliud enim est mutare & aliud mutari. Nam aliud est sponte transire, aliud est coacte aut necessitate venire. Vnde non isti mutant ciuitates sed mutantur, qui non sponte sed coacte hoc agunt. Conf. Brunnem. de Fur. Eccles. lib. 1. c. 1. §. 28. Danhauer. cit. l. p. 751. qu. 15. Ex quo apparet translationis vocationem maioribus obnoxiam esse periculis, cum aliquando etiam tentationem continere possit.

§. V. Plura certe adhuc impedimenta ob stare videntur, ubi translatus mox de nouo reuocatur ad priorem suam Ecclesiam, vel omnibus modis ipse allaborat, vt priorem suam recipiat Parochiam. Nam hic certe multa dubia obuenire posse nemo negabit. Aut enim prima vocatio, per quam iam est translatus ad aliam Ecclesiam, fuit diuina, aut non. Priori casu non video, qua ratione de nouo possit consentire, vel transferatur in priorem Ecclesiam, cum si prior illa diuina fuerit, hæc sine dubio diuina esse non possit: Neque enim DEO eiusmodi transmigrationses subitaneæ placere possunt. Et vix est, vt in translatione ad aliquot Menses concurrat vocatio diuina, cum signum alicuius inconstantia præ se ferat, nec ipse intra tam breue spatium temporis ædificare Ecclesiam aut muneri suæ vocationis satisfacere potuerit, præsertim, si resignationis prioris Ecclesiæ ipsum poeniteat, animaduertens, in Ecclesia illa, ad quam iam est translatus, se non tot repirire commoditates, sed plus laboris. Posteriori casu male fecit, quod resignauerit priorem Ecclesiam, & ita non vocatus iuerit. Fateor tamen quandoque, quamuis rarius, accidere posse, vt post aliquot tempora quis de nouo ad priorem Ecclesiam reuocetur, ubi non eadem dubia occurrunt, qua in subitanea tali reuocatione communiter oriuntur.

Quid si translatus reuocatur ad priorem Ecclesiam?

§. VI. Ceterum optime notandum est, esse duo inter se *Quomodo?*



*ferat a no-  
 vocatione  
 ioratio vo-  
 cationis resi-  
 gna.*

distinctissima, reuocare aliquem de nouo ad priorem Ecclesiam & renouare vocationem resignatam: Vocatio noua, nouum plane & diuersum a priori, cui iam resignauit, tribuit titulum, nouum & diuersum ius, non vero prioris continuationem infert: sed renouatio vocationis resignatæ ius per resignationem stricto iure quidem amissum redintegrat, omnesque ei adhaerentes qualitates & effectus restituit. Vno verbo, est magis restitutio prioris iuris, eiusque continuatio quam noua institutio, vel noui iuris, acquisitio *arg. l. 26. §. vli. de pact. dotal.* Repertio enim etiam in iure *renovationem* duo inprimis inuoluere (1.) restitutionem iuris amissi vel renunciati. *l. 18. ff. d. R. Nupt. l. Diuus. Seuer. 46. in f. ff. de iure dot.* (2.) Continuationem iuris prioris, quod stricto iure etiam erat finitum. Si locatio ad tempus contracta tempore præter lapso extinguitur, renouatur autem ex taciturnitate vtriusque cum iisdem qualitatibus, ita vt pignora quoque durare intelligantur *l. 13. §. ii. ff. de locac.* ibi: *Videntur eandem locationem renouasse* (non vero plane nouam celebrasse) *conf. l. 15. §. i. ff. de milit. testam.* ibi: *Renouatum testamentum intelligitur.* Vnde in effectu ingens est differentia. Renouatio enim vocationis resignatæ ministrum Ecclesiæ, qui iam ad aliam translatus est Ecclesiam, restituit in priorem, quem ante resignationem obtinuit, locum respectu prædrias, vt si in ministro primum vel secundum obtinuit locum, eundem quoque eo ipso recipiat. At si de nouo ad resignatum officium vocatur & eligitur, vltimum in ministerio occupare debet locum. Quemadmodum enim in aliis officiis & collegiis moris esse solet, vt prerogatiua; ordinis capiatur ex prioritate ordinis, ita quoque adhuc receptum est in ministeriis, vt qui prior ad officium sacrum vocatus est, in ministerio sacro ei præferatur, qui post eum demum vocatur. *Vid. c. 1. X. de Maior. & obed.* Vnde & porro multum interest respectu iuris Senioratus, quod etiam inter Ministros Ecclesiæ locum habet, & inde dependentium iurium. Senior enim inter Ministros Ecclesiæ iudicatur non respectu ætatis, sed itidem ordinis, ita vt is demum sit

*re esse con-  
 ouerſia 9<sup>o</sup>  
 uditur.*



fit talis, qui successione primum occupauit locum, & ceteris omnibus ratione *ordinis* potior est. Et cum Seniorum plura sint iura peculiaria, vtique exinde dependebit decisio quaestionis, vtrum talis, qui non tam vocatus de nouo ad officium resignatum, quam cui renouata est vocatio resignata, & qui primum ante obtinuit locum, & sic senior in ordine fuit, iura Senioratus possit exercere v. g. in nonnullis locis, vti Hannoveræ alibique, Senior ordinandi ius habet eos scilicet, qui Ministerio illi sunt inferendi, Senior dirigit ministerium actusque ad illud spectantes instar Decani, imo Senior aliquando quid praecipuum praereliquis habere potest, tanquam Pastor primarius &c. Quaeritur itaque, an talia iura sibi vindicare possit, quod vtique asserendum est, si renouatur prior vocatio resignata, negandum vero, si de nouo ad ministerium vocatur. Imo & huc alia quaestio pertinet: vtrum is, qui ad priorem reuocatur locum, de nouo sit inuestiendum & inthronisandus, quod vix necessarium esse duco, vbi renouatur prior vocatio resignata, cum talis renouatio continuationem prioris iuris & officii designet, efficiatque, vt quasi numquam ab hac Ecclesia ad aliam translatus videatur. Verum si plane nouam supponamus vocationem, sine dubio quoque noua inuestitura & inthronisatione opus est, quia nouus adest titulus, nouum & plane diuersum a priori acquiritur ius; Et cum ordinarie vocatis literæ confirmationis dari soleant Carpz. *in Iurispr. Eccles. lib. 1. tit. 4. def. 52.* sine dubio nouiter vocatus quoque illas impetrare debet: Ast maior ratio dubitationis est in eo, qui renouationem vocationis resignatae accipit; cum enim omnia hic in priorem, in quo ante translationem vel resignationem fuerunt, reducantur statum, priores quoque literæ confirmationis renouantur & vim effectumque acquirunt, adeoque nouis literis opus esse non videtur. Solet quoque in nonnullis locis aduenienti & reuocato Pastori ex redditibus Ecclesiasticis aliquid esse destinatum v. g. daß er bey seiner Ankunft ein wohlmeubliertes Haus findet, quod nouiter vocato vtique adiudicandum est, non vero

ex



ex stricto iure ei, cui tantum prior vocatio est renouata, quia potius continuat ius anrea obtentum, quam quod de nouo ius acquirat. Et quid demum dicemus de illo casu, vbi vocati solennia quædam præstare debent, antequam functionem suscipiant sacram v. g. iuramentum. Reuocati enim per nouam Electionem de stricto iure illa vtique præstare debent, sed non hi, quibus prior vocatio est renouata. Superfedeo hic plures addere differentias, quippe quæ ex dictis facili elucescunt. Illam tamen, vt breuibus totum negotium complectar, adhuc adicere lubet, nouam vocationem esse viam ordinariam adspirandi ad officium sacrum. Renouationem vero valde *irregularem* & plane *extraordinariam* & potius pertinere ad Cautelas, ne, dum ad priorem vocatus Ecclesiam, vltimus debeat esse in ministerio, sed vt priorem & honoratorem obtineat locum. Equidem hanc viam redeundi ad pristinam Ecclesiam haud reperi ab interpretibus Juris Ecclesiastici esse excussum, cum ordinaria semper obtinuerit; sed crescente ambitione hominum crescunt etiam cautela, vt inde non dubium sit, aliquando extraordinarium hunc modum in controuersiam venire posse.

edictum de  
re noua  
cautela.

Queritur  
n qui ius  
vocandi ha-  
ent, possint  
resignatam  
renouare.

status Con-  
trouersie  
ormatur.

§. VII. De hac itaque renouatione vocationis resignatione duæ potissimum quæstiones hic tangere lubet. (1) Vtrum his, qui alias ex Lege vel consuetudine inueterata ius vocandi habent, v. g. Senatus, vel etiam Ecclesie administratores, etiam ius reuocandi priorem iam resignatam vocationem, & ita resignantem in priorem locum restituendi competat? (2) Vtrum & quatenus nouiter vocatus talem renouationem salua conscientia admittere possit. Quoad priorem quæstionem ante omnia status controuersie est recte formandus. Primo itaque hic suppono, resignationem fuisse iam perfectam & admissam, vt Canonistæ loquuntur. Flamin. Paris. *de resignat. benef. lib. 1. quest. 12. n. 3.* antequam enim admissa fuerit a Consultorio, & ita Minister Ecclesie perfecte dimissus, res adhuc est integra. *Id. cit. l. n. 6. seqq.* Deinde suppono, resignationem fuisse iustam & vo-



& voluntariam, non vi metuque aut iniustis modis extortam, illa enim in effectu pro resignatione haberi nequit. Ludouicus Engel *ad tit. X. de renunciat. n. 1.* & cum nulla est resignatio, beneficium non vacat, Flamin. Paris. *de resign. benef. Tom. 2. lib. II. qu. 7. n. 85. & lib. 13. qu. 2.* & sic renunciati ob metum datur regressus Paris. *vol. 4. quæst. 66. n. 1.* ita vt noua collatione non sit opus, Flaminius *cit. l. qu. 2. n. 27.* Denique suppono renouationem fieri vel a Senatu vel ab administratoribus Ecclesiæ. Vnde hic non disputo de potestate principis, quando ille simpliciter ius vocandi habet, annon aliquando ex iustis causis possit renouare priorem vocationem, si aliis iam non sit ius quæsitum, de quo minor dubitandi ratio est.

§. VIII. Affirmatiuam sententiam videntur firmare sequentes rationes (1) quod ius renouandi priorem vocationem sit connexum cum ipso iure vocandi. In toto enim fere iure receptum est, vt is, qui possit negotium aliquod facere, possit idem iam extinctum renouare, vti ex textibus §. 6. adductis liquidum redditur. Imo aliquando alicui conceditur citius renouatio prioris actionis, quam vt nouam possit suscipere actionem. Sic vbi sententia in rem iudicatam transit, vbi terminus probatoris præter lapsus, nullum amplius ius agendi superest. Renouatur illud tamen per restitutionem in integrum. Quid vero hæc aliud est, quam redintegratio & renouatio iuris amissis? Inprimis vero ideo ius renouandi cum iure vocandi coherere videtur, quod plus videatur, de nouo aliquem vocare, quam priorem vocationem renouare. Qui autem potest id quod maius est, potest etiam id quod minus est, vt adeoque renouatio videatur subordinata esse iuri vocandi, cum eius sit consequens. Imo facilius aliquid renouatur, quam de nouo peragitur, cum ita omnia illa subsistant, quæ antea iam adfuerunt, neque tantis ambagibus opus sit.

§. IX. Vnde quoque (2) Renouatio talis posse venditari pro specie vocationis videtur, quia primam restituit vocationem & nihil aliud in effectu est, quam quædam *noua vocatio*, in

*Ratio dubitandi (1) quod ius renouandi videatur coherere iuri vocandi.*

*(2) Renouatio est ipsa vocatio.*

B

hoc



hoc tantum discrepans a solenniore & simplici, quod priora iura per resignationem amissa simul restituat, quod vocantibus non denegandum, cum qui possit antecedens, possit etiam necessarium consequens. Vnde & in iure Feudali is, qui potest inuestire de Feudo, potest etiam inuestituram renouare, etiam illo casu, ubi feudum iure stricto erat amissum, ita vt hæc renouatio pristinam feudi naturam restituat, & sic non fiat feudum nouum, sed maneat antiquum. Potest enim feudum nouum iure antiqui feudalicui dari. Ill. Dn. Stryk. in Exam. iur. feud. c. 3. q. 16. Penes quem itaque est ius dandi nouum ius, penes illum etiam est ius renouandi ius amissum.

Præiudicium ceterorum componitur utilitate ecclesie.

§. X. Equidem (3) talem renouationem aliquod præiudicium ceteris in ministerio constitutis adferre videtur; sed posset regeri, hoc saltem fieri per consequentiam quandam, vt tamen a renouantibus non primario intendatur, cum etiam is, qui iure suo vitur, nemini faciat iniuriam, licet vel maxime alteri damnum aliquod inde inferatur l. 24. l. 26. ff. de damno infect. Imo compensatur illum damnum & præiudicium utilitate Ecclesie, quam percipit ex tali reuocatione per modum renouationis facta. Quid enim si Theologum quendam Ministrumque, qui hætenus Ecclesie quasi columna quædam fuit, ægre ipsa dimisisset, & iam eius reditum expereret, hic vtique reliqui Ministri videntur esse obligati priuatam utilitatem postponere utilitati Ecclesie, præsertim cum hi ipsi iuramento & vi officii ad hoc sint obligati, vt promoueant utilitatem Ecclesie eiusque salutem, quæ mirum in modum promouetur per fidelis sinceri & pii ministri vocationem, & præpositionem. Non itaque in hoc læduntur ceteri Ministri, ad quod vi officii obligantur.

Quod nihil est per bonestatem redire sit.

§. XI. Maius vero (4) pondus huic sententie conciliaretur, si supponimus casum, eum, qui iam ad aliam translatus est Ecclesiam, aliter redire nolle, quam sub hac conditione, vt prior renouetur vocatio, & tamen Ecclesie videatur interesse, vt talis ad pristinum & derelictum officium redeat. Neque etiam honeste redire per modum nouæ vocationis posse videtur, cum

ita,



ita, qui forsan antea primus vel secundus in ordine fuerat, iam fiet vltimus & sic deterioris conditionis fieret, cum tamen translatio non debeat fieri ad maiorem dignitatem *c. legimus 24. in f. D. 93.* Quia alias talis translatio genus quoddam poenae in se contineret; dicitur enim eius poenitens *Psarre* quando quis a superiori ad inferiorem Pastorum promovetur *Carpz. Iurispr. Consist. lib. 3. def. 124. B. Linck. ad Decret. tit. d. translat. §. 3.* Iam itaque finis dat mensuram mediis, & cum his, quibus ius vocandi competit, simul necessitas imposta sit, vt talem praeficiant Ecclesiae, quem dignissimum iudicauerint, & cuius ministerio promoveretur utilitas & salus Ecclesiae, non apparet ratio, cur vocantes hoc casu non possint Ministrum iam ad aliam Ecclesiam translatum, si utilitas Ecclesiae id postulat, reuocare sub conditione renouationis prioris vocationis. Neque enim boni Pastores semper in tanta copia adsunt, vt alius aequidoneus eligi & vocari queat.

§. XII. Eo vero minor ratio dubitandi (5) adesse hoc casu videtur, quoties plebis suffragia & acclamatio vnanimis accedit, saepe enim has acclamationes feliciter cessisse Historiae referunt, exemplo *Ambrosii* in cuius electione populus primas partes habuit, vid. *Brunnem. ius Eccl. lib. 1. c. 5. §. 8.* Iam cum originarie ius vocandi penes integram Ecclesiam sit. *Ziegl. de Episc. lib. 2. c. 1. §. 5. sqq. Gisbert. Voetius in Polit. Eccles. p. 2. l. 2. tr. 2. c. 3. p. 601.* eo securius possunt iam hi, qui quodammodo loco populi vniuersi vocant, ad placitum totius Ecclesiae renouare priorem vocationem, & huic decreto quasi ab vniuersa Ecclesia facti debent vtique se conformare reliqui Ministri Ecclesiae, sicuti partes alicuius collegii se debent conformare ad rationem totius.

(5) Quod eo magis obtinebit, si accedat clamor populi.

§. XIII. Sed omitto alia argumenta in medium producere, quae patronis huius sententiae & causae inferuire possint. Ego interim hic in alia omnia eo, nec renouationem talem fieri posse ab his, qui ius vocandi habent, existimo. Quam sententiam vt ex genuinis iurium fontibus deducam, altius repetam.

Vera decisio.



tenda videtur natura iuris vocandi hodierna, & indoles ministrii ordinati accurate examinanda, quippe ex quibus duobus fundamentis hæc quaestio primario decidi debet.

Ratio deci-  
denli (1) de-  
mitur ex  
natura vo-  
cationis.

§ XIV. Quemadmodum Ecclesia vicem collegii cuiusdam sustinet, quod Dn. Praeses in *tr. de iure Paroch. sect. 1. c. 2.* pluribus deduxit, ita quoque non dubitandum, originarie hoc ius vocandi adscribendum esse toti Ecclesiae, sicuti ordinarie omnia Collegii alicuius membra concurrere solent ad negotia vniuerso Collegio communia, & hanc Praxin primitiuam obseruasse Ecclesiam, ostendunt exemplo clarissimo Apostoli, cum post excessum Iudæ in numerum Apostolorum alius esset cooptandus, quod vteritus declarat Ziegl. *de Episc. lib. 2. c. 1. § 5. sqq.* & Dn. Io. Frid. Meyer in *Museo p. 1. c. 1. p. 98. seqq.* Et cum hoc tanquam indubium ab omnibus supponatur, saltem videndum qua ratione & quibus conditionibus postea ius vocandi ad pauciores peruenit.

Quatenus  
F qua ratio-  
ne ius vocan-  
ti ad paucio-  
res peruenit.

§ XV. Ab aliis iam ostensum est, introductio iure Patronatus, fere ecclesiis denique Gemeinden in totum ereptum esse ius eligendi, vtrum spontanea ex commissione, an vero potius ex vano praetextu, quasi ius Patronatus ad opes Ecclesiarum agendas optime conduceret, vti non dissitetur Carpz. *Iurispr. Conslt. lib. 1. t. 2. def. 13. n. 8.* aliis iudicandum relinquo. Interim tamen cum in plurimis Ciuitatibus & locis ius vocandi Ministrum Ecclesiae sit penes Senaturn, ius vero praesentandi penes administratores Ecclesiae, solent vt plurimum pro defensione huius iuris solitarii adferre distinctionem inter *Curam vocationis* & ipsam *vocationem*. Illam Patrono adscribunt, hanc vero nihilominus toti Ecclesiae reseruant Carpz. *Iurispr. Eccl. lib. 1. tit. 3. def. 27.* quod optime etiam ex Zieglero *tr. de Episc. l. 2. c. 3.* declarat Dn. Meyer *cit. l. p. 101.* Quamuis vero hæc distinctio haud congrua esse videatur, in praesentiarum tamen cum communitate recepta sit, ex concessis & *κατ' ἀναγκαστον* argumentari licebit & exinde concludere, curam hanc vocationis, qua penes Senaturn residet, non omnino esse liberam & absolutam, sed strictis limi-



limitibus inclusam & plerumque duo in se continere (1) vt vel Senatus vel alius cum iure presentandi habeat simul ius vocandi h. e. nominato & presentato literas vocationis transmittendi, vt futurus sit illius loci Parochus Finckelthaus *de iure Patronatus* c. 2. n. 14. Carpz. *Iurispr. Consist. lib. 3. def. 22. n. 4.* vel (2) vt ius vtrumque sit dispersum inter diuersas personas, ita quidem, vt Patrono tantum competat *ius presentandi*, quippe quod essentielle eius negotium est, Senatui vero ius vocandi stricte dictum, consistens in eo, vt presentato literas vocationis transmittat Schilter. *Instit. Iur. Canon. lib. 1. tit. 13. §. 11.*

§. XVI. Quacunque demum ratione Senatus vel alius concurrat ad vocationem, haecenus non reperio vllum medium terminum concludentem, ex quo a iure vocandi ad Cautelam hanc, scilicet ad ius renouandi vocationem legitime inferri possit. Vtroque modo potestas Senatus est restricta ad certos limites, quos egredi non poterit. Aut enim tantum literas vocationis presentato mittere potest, & tunc totum negotium Senatus consistit in dirigendis literis ad presentatum. At vero si simul nouiter vocato vellet renouare priorem vocationem, tunc non vocaret, sed aliud quid ageret, quod ad curam vocationis plane non spectat. Restitueret enim ei pristinum ius per resignationem in totum amissum, quod non est vocare, vocare demum enim dicitur, quando locus vacuus in Ecclesia vel ministerio alicui per legitimam viam assignatur. At si vellet renouare Senatus priorem vocationem, vocaret ministrum ad aliam iam translatum Ecclesiam in *locum non vacantem*, quod tamen fieri nequit. Ipso momento enim quo aliquis ex ministerio officium suum deponit, siue per mortem siue per translationem, siue per translocationem, siue alio modo, *ultimus locus* in ministerio vacare incipit, & de hoc supplendo sollicitus debet esse Senatus, vel alius quilibet Patronus. Imo haec ratio quoque procederet, si ipse populus ius eligendi habet, si vellet locum amplius non vacantem electo assignare.

*Potestas Patroni est restricta in vocando.*

*Renouare non est vocare.*

*Quomodo vacantia inducatur.*

§. XVII. Si supponimus alium casum, vbi vtrumque ius *An sub pre-*



ntatione  
reat reno-  
atio?

& præsentandi & vocandi habet Senatus, itidem ius renouandi priorem vocationem sibi vindicare nequit. Iam enim ostensum sub simplici vocatione illud non contineri. An ergo sub præsentatione? Minime gentium. Præsentatio enim consistit in electione & determinatione certi individui ad locum vacantem, qua facta, officio suo functus est, ita quidem, vt amplius variare non possit, quia post cessat officium Patroni, Schilter *cit. l. §. ii. lit. a.* quod iudicium præbet, potestatem, præsentandi esse satis strictis inclusam cancellis, vt adeoque pro lubitu hic disponere non possit, quippe cum adstrictum se fateri debeat ad L.L. Ecclesiasticas. Porro præsentatio consistit in primis in eo, vt præsentatum sistat cum Superiori quoad *confirmationem c. 32. C. 16. qu. 7.* Finckelthaus. *de iure patr. c. 6. n. 138.* tum etiam populo, penes quem est ius *δοκιμασίας*: vnde quoque præsentatus ordinarie admitti debet ad concionem *δοκιμασίην*, populusque post concionem congregatus interrogari, num habeat, quæ contra Candidati vitam mores &c. excipere possit, vt ita quadantenus quoque populus hic concurrere debeat III. Dn. Stryk *in not. ad Brunnem. ius Eccl. lib. 1. c. 5. §. 1. verb. concurrat triplex status.* Quid si iam supponamus renouationem prioris vocationis? hac omnia cessare videntur. Neque enim sic proprie præsentatur, neque strictè loquendo vocatio adest, sed Patroni nouum quoddam & insolitum ius exercent, quod ab utroque iure & vocandi & præsentandi toto cælo differt, vt §. 6. luculenter ostensum: quæ autem in effectu inter se differunt, connexa esse non possunt. Cum vero omnes ad vnum vnanimiter confiteantur, ius Patronatus esse quodammodo odiosum & strictè adeo interpretandum, certe nouum ius Patroni sibi vindicare non possunt, quod neque ad vocationem neque ad præsentationem referri potest.

Nature Mi-  
nisterii repu-  
nat renoua-  
tio.

§. XVIII. Seditiam ratio Ministerii non permittit, vt hoc ius Patronis vel eligentibus asseri possit. Si considero naturam Ministerii, illud potissimum consistit in coniunctione, aliquot Ministrorum vt plurimum diuersarum Parochiarum in eodem loco existentium, eo ordine inter se vnitorum, prout prior quis



vocatus fuerit ad officium sacrum. Ex quo apparet vocationem quo inuoluere. (1) vt vocatus præficiatur huic vel illi Ecclesiæ (2) vt simul fiat *membrum Ministerii*, quæ duo inter se coherent: vnde etiam si Ecclesiæ vacare incipit, simul Ministerium quo ad membrum aliquod eodem modo vacat. Illud vero hic bene notandum, quocumque gradu demum quis discedat vel decedat, tamen non illum gratum in Ministerio vacare, in quo hæcenus discedens vel resignans fuit constitutus, sed semper gradum vltimum. Eo ipso enim, quo quis locum suum in Ministerio relinquit, ipso momento reliqui inferioris gradus ascendunt, & sic deficientis locus ipso iure occupatur, adeoque demum vltimus incipit vacare locus. Ita enim fere per vniuersalem consuetudinem Ecclesiarum Protestantium obseruatur, vt nouiter vocatus semper fiat vltimus in Ministerio & sic gradatim ascendat, quod intelligo, vbi sunt *eiusdem Dignitatis* Ministri. Nam in nonnullis locis sunt Pastores & Diaconi, vbi tunc Pastores ordinarie prærogatiuam habent, ita vt in arbitrio eligentium sit, velintne ex Diaconis aliquem Pastoratui præficere, an vero plane extraneum constituere. Posito itaque tali more Ecclesiarum, certe renouatio resignatae vocationis (1) tenderet in præiudicium reliquorum Ministrorum seu membrorum Ministerii (2) læderet constitutiones Ecclesiasticas, imo (3) attribueret eligentibus talem potestatem, quæ *arbitrio non ministro legitimum* competit. Quod enim primum concernit, certe euidens est, reliquis Ministris Ecclesiæ iam ius esse quæsitum statim a tempore resignationis perfectæ, ita vt ipso momento ascendant; vbi vero admittenda esset talis resignatio, ius semel perfectè quæsitum iis factò eligentium vel Patroni eriperetur, quod tamen nequidem solet esse moris Imperatorii *l. nec auis 4. C. de Emanc. lib.* cum rursus tenerentur relinquere locum iam occupatum, & sic ius inde dependens, quod haberet speciem alicuius pœnæ. Neque in contrarium moueor, si quis regeret, esse illud ius proëdrias vanum & inane, adeoque non adeo læsionem inferre; nam illud ipsum regeri potest etiam ei, qui renouationem vocationis

*Quis locus i  
ministerio  
vacet disce-  
dente mem-  
bro.*

*Renouatio  
tendit in præ-  
iudicium reli-  
quorum mi-  
nistrorum.*



tionis resignatæ requirit. Deinde hic non quæstio est, quid Ministri Ecclesiæ ex humilitate & amore pacis pati debeant, sed quid secundum ius quæsitum perfecte prætereundum ab alio possint, & qua ratione, si eis desuper moueatur, pronuntiandum sit.

novatio est  
contra Leges  
Ecclesiasticas?

Canon.  
colorat hanc  
cautelam.

rius Ca-  
non. illam  
non tangit?

si prohibita  
in iure  
Ecclesiastico?

§. XIX. Quoad alterum, non adeo dubium habet, hic peccari contra Leges Ecclesiasticas. Nunquam ego in aliqua ordinatione Ecclesiastica hanc Cautelam legi, sed illam plane nouam esse arbitror. Imo quamuis alias in iure Canonico tot colores & cautelæ inueniantur, quibus iniquitates Clericorum possint colorari, hæc tamen hanc Cautelam ignorarunt saniores Canonistæ aperte statuentes, neminem ad beneficium resignatum redire, absque noua collatione posse. *c. quidam 12. X. de renunciat.* quia sic demum habet nouum titulum Flamin. Paris. *de resign. benef. lib. 1. qu. 13. n. 21. 43. 199.* Imo quamuis alias Pontifex omnia negotia determinare possit & dicere: *fiat piscis*: tamen mihi sedulo euoluenti Flaminium Parisium, qui vberissime resignationes beneficiorum pertractat, non obuia fuit hæc Cautela, quam alias non omisisset, si Canonistæ huius praxin in Clero suo obseruassent. Puto enim illam nimis manifeste repugnare Canonibus, ut recipi non adeo commode potuerit, quia semel constitutum erat, non posse resignantem aliter redire ad resignatum beneficium, quam ex nouo titulo. Quos igitur Colores nequidem admittit ius Canonico, illos inter nostros Ecclesiæ Ministros admittere velle, esset valde indecens, imo plusquam Papale. Sed, dicis, sufficit quod non sit, prohibita hæc Cautela in Constitutionibus Ecclesiasticis, quin potius est tantum præter illas. Ego vero memor essati illius, *Leges scire non esse verba tenere, sed vim ac potestatem*, omnino concludo, si non *expressam saltem tacitam* hic adesse prohibitionem. Omnes certe Constitutiones Ecclesiasticæ in eo conspirant, non aliter aliquem posse admitti ad officium sacrum, quam legitima via. At hæc via est pessima, in fraudem Legis excogitata, & ambitionis haud tolerandæ indicium. Ridemus Pon-



Pontificis astutiam & insanam potentiam, quando ait: *fiat pi-  
scis*. Itaque nos eadem irrisione digni essemus, quando velle-  
mus asserere. *Fiat non resignatio ex resignatione*. Imo cum Le-  
ges vocationem legitimam requirunt, hanc illegitimam viam  
damnant & prohibent.

§. XX. Sed pergo ad tertium membrum. Sunt videlicet Patroni ministri Legum Ecclesiasticarum, & ad has iura-  
mento quandoque adstringuntur. Ast si hanc viam sibi vindica-  
rent, arbitrium circa easdem sibi fumerent, & maius quid,  
ipsam scilicet *dispensationem*, quod non est ferendum. Imo quod  
valde insolens est, *ius fingendi* sibi arrogarent, quod quidem ha-  
ctenus in Legibus Civilibus admittitur, & ex potestatis Legisla-  
toriae iure fluit, per quod aliquando emollit ius strictum singu-  
laris æquitatis intuitu. Ast hic velle fingere, esset destruere  
Leges Ecclesiasticas, & circumuenire mentem legis. Arro-  
garent sibi hoc ipsi Patroni facultatem Legislatoriam & iura  
Maiestatica inuolarent, quod absque crimine læsæ Maieſtatis  
asserri nequit *l. i. C. ad L. Iul. Maieſt.* Imo hic ne quidem fictio  
aliqua supponi potest, quia deficit fundamentum fictionis, scilicet  
æquitatis ratio. Forſan æquitatem tibi aliquam fingis eo in  
casu, vbi talis Minister Ecclesiæ esset reuocandus, qui Ecclesiæ  
summam posset asserre vtilitatem. Sed tunc illud regero,  
quod supra iam attuli, me non posse comprehendere, quomodo  
Ecclesia possit vtilitatem capere ex reuocatione eiusmodi *am-  
bitiosi Ministri*, qui absque hac Cautela impia & in fraudem Le-  
gis inuenta redire reculat. Non enim hic quærit vtilitatem  
sue Ecclesiæ, sed vt honori, ambitioni reliquisque carnalibus  
affectibus satisfaciatur. Et deinde sæpe ingens præiudicium ver-  
ſatur in electione alicuius Ministri, qui statim maxime vtilis Ec-  
clesiæ iudicatur, si forſan Clamoribus aliisue Oratoriis phaleris  
incedere, populumque cæcum ducere potest quo velit. Im-  
probant Icti grauissimi Prætorum Romanorum astutiam, qua  
sub prætextu æquitatis quiduis fingere allaborarunt, populo

Patroni  
nouando  
cationem  
pensare v-  
dentur.

In reuoca-  
ne occurr-  
fictio mul-  
plex.

Fictio ne-  
dem hic su-  
poni potest

Iudicium a  
præiudicium  
circa electi-  
nem mini-  
strorum E.



Romano interim persuadentes, se non mutare Leges Ciuiles, sed tantum, se fingere & formare casum paulo aliter, atque reuera est, & sic tantum se Leges applicare iam latas. Quid vero aliud faciunt Patroni aliiue, qui Ministrum sub hac Cautela reuocare amittuntur, quam quod fingant, Ministrum Ecclesie non fuisse translatum, qui tamen translatus est; resignationem non fuisse factam, quæ facta est; locum vltimum in ministerio non vacasse, qui reuera vacauit; locum resignatum non fuisse iam ab aliis in Ministerio occupatum, qui reuera, dum reliqui ipso iure ascendunt, occupatus est; Ecclesiam non fuisse viduam, quæ talis fuit; dimissionem a Consistorio non fuisse factam, quæ tamen facta est; alteram Ecclesiam, in quam reuocandus fuit translatus, non habuisse Ministrum Ecclesie, quem habuit; concionem valedictoriam non esse habitam, quæ habitata est. Vides itaque, quam egregiæ absurditates sub hac larua latent; Leges alias ægre admittunt combinationem seu concurrentiam plurium fictionum circa vnã eandemque causam, adeoque Prætores magis sobrii adhuc fuerunt circa fictiones quam hi noui Prætores, qui hanc Cautelam fingunt, in qua septem fictiones concurrunt, & plures adhuc exinde deduci possent, si non sufficerent ad absurditatem huius negotii demonstrandam. Sed hodie eiusmodi fictiones, quamuis etiam adhuc frequentes, non tamen idem semper operantur, vti quidem sub Prætoribus feliciores progressus facere poterant.

§. XXI. Sed etiam medius terminus suppeditatur mihi ex natura *renouationis*. Renouantur proprie illa, quæ nondum in totum expirarunt, sed aliquam continuationem habere possunt. Hoc sensu *renouari* dicitur cautio, quæ adhuc durat. in l. vlt. §. 5. ff. de Leg. 2. conf. l. 13. §. vlt. locat. vel si *renouatio* de iure extincto prædicatur, vti in l. 18. ff. de ritu Nupt. l. 40. de iure dot. l. 15. §. 1. de restam. milit. l. 28. de captiu. tunc *renouatio* idem denotat, quod *noua actio*. Ex his itaque sic concludo: aut *renouatio* fit in casu, vbi negotium non in totum expirauit, vt

in

Fictiones se-  
m hic oc-  
currentes re-  
sentur.

dicium de  
ucus; si plu-  
m fictio-  
m.

renouatio  
c est contra  
curam re-  
novationis.



in l. 13. §. ult. ff. locat. & sic nihil aliud est, quam continuatio priorum iurium, quæ stricto iure poterant expirare, sed tacito Consensu vel alia ex circumstantia continuantur: aut Renouatio dicitur fieri, iure plane & in totum iam sublato & extincto, & sic non inducitur prioris iuris amissi continuatio, cum ad iura amissa non detur regressus, sed noui iuris declaratio & exercitium. Quando itaque renouantur nuptiæ post diuortium, reuera non priores continuantur, sed nouum est matrimonium. Iam fiat applicatio ad nostram sacram Cautelam, non potest in hac renouatione fieri continuatio iurium amissorum; Nam per translationem, quam hic suppono, omne ius suum amisit, quod antea habuit, adeo vt ne *quod* quidem superfit. Sed dicis, debemus fingere, ac si talis translatio facta non esset: Verum respondendi iam ad hanc ineptam procedendi methodum. Icti certe hunc modum argumentandi ignorant. Si liceret ita in interpretando fingere, posses supponere, Caium esse furem & ex hac fictione inducere illum esse suspendendum. Quando itaque renouatio hic fieri debet, sano illam sensu debemus admittere, vt scilicet idem sit, ac noua vocatio ad ministerium sacrum. At quam longe hæc distet a renouatione hæc laruata, supra plenius dictum est.

Obiectio re-  
monetur.

§. XXII. Superest adhuc, vt breuibus explicem, an cum resignatione subsistere possit talis renouatio ficta. Sed videamus ante omnia naturam & effectus eius; Nam est terminus iuris Canonici, adeoque inde enucleandus. Resignatio dicitur communiter Canonistis renunciatio iuris proprii spontanea & libera dimissio seu cessio. Rebuff. in *Prax. beneficior. tit. de resignat.* Flamin. Parisius de *resignat. benef. lib. 1. qu. 1. n. 32.* vel magis accommodate, est diuisio spontanea & libera beneficii obtenti facta cum causa coram Superiore Flamin. *cit. l. n. 33.* Inuoluit itaque tria resignatione etiam in nostris Ecclesiis (1) abdicacionem officii sacri; dimitto enim illud, quod derelinquo. Flam. Paris *cit. l. n. 41. (2) iustam causam*: quæ in omni resignatione requi-

Renouatio e-  
contra resi-  
gnationis na-  
turam.

Resignatio  
quid?



200  
 quiritur. *super hoc X. de renunc. (3.) Superioris seu Consistorii auctoritatem*, id quod etiam Canonistæ strictè obseruant, *Parif. cit. l. n. 58.* Iam vero ex singulis hisce membris mihi fere noui subnascuntur mediū termini contra hanc prætextam & egregiam cautelam. Abdicatio officii duo operatur (1) vt abdicans in totum ius suum amittat (2) vt inducatur vacantia per nouum Candidatum supplenda. Quoad membrum prius rectè concludunt Canonistæ, resignantem beneficium non posse illud quouis prætextu repetere *Crauet. conf. 24. n. 4. Flamin. Paris. de resign. benef. lib. 1. qu. 13.* vt illusio & variatio excludatur, quæ maxime viris Ecclesiasticis indigna iudicatur. *Id. cit. l. n. 5.* Vnde etiam alibi communiter asserere solent, quod renunciantibus sua beneficia ad illa obtinenda non detur regressus. *Crauetta. conf. 51. n. 5. Parif. cit. l. §. 9. sqq.* Quod iam prohibitum est in termino, hoc etiam prohibitum esse in via *Dd.* asserunt, seu vt magis clare loquar: quodcunque *directo* prohibitum est, id *per indirectum* admitti nequit, nisi quis velit verbis legis retentis mentem eius circumuenire. Iam si admitteretur hæc Cautela de renouatione, eueniret, vt daretur absque nouo titulo & nouo iure regressus ad officium resignatum, imo quod absurdissimum est, fieret *σιδηρόζυλον*. Est enim contradictio in adiecto, reuocari posse uocationem resignatam, quæ enim uocatio non amplius est in rerum natura, illa non potest renouari, sed si renouaretur, ex non ente fieri deberet ens, quod esset nouum ius, non iuris extincti renouatio. Hæc uero Philosophia est supra Philosophiæ spheram, facere scilicet ex non ente, ens quoddam. Sed dicis, non insolens in iure est, vt ius extinctum reuiuifcat. Verum respondeo (1) demonstretur prius, quod saluis Legibus Ecclesiasticis hoc ius resignatum etiam ita reuiuifcere possit. Vbi enim Leges iurium extinctorum reuiuifcentiam ignorant seu non largiuntur, ibi non est admittenda. Est enim merito strictis inclusa limitibus, dum plerumque læsionem tertii, qui iam exinde ius quæsitum habet, continet (2) Est species

resignans re-  
 tene benefi-  
 am nequit.

nouatio  
 tra dictio  
 n inuoluit.

iatenus ius  
 inctum re-  
 uifcere pos-

resti-



*restitutionis gratia*, quæ vnice competit ei, qui ius dispensandi habet, *arg. §. 1. I. quib. mod. ius. P. P. toll.* Ast dispensatio quoque fieri non potest in præiudicium tertii *arg. l. nec auus 4. C. de emanc. liber.* Tenderet autem reuera hæc dispensatio, quæ fieret in reuocatione vocationis resignatæ, in præiudicium totius Ministerii, & præcipue illorum, qui iam locum resignatum ipso iure occuparunt & sic successerunt in ius resignantis. De altero Membro, inducta scilicet per resignationem *vacantia*, iam dictum est, induci semper vacantiam in Ministerio ordinato ita, vt *locus vltimus* demum sit vacans, non vero is, cui quis renunciauit, ex quo nouum argumentum subnascitur.

§. XXIII. Deinde supposui in omni resignatione requiri *Renouatio struitur in iustam causam.* Ex quo infero; si in resignatione fuit iusta causa, non potest iusta esse causa in renouatione resignatæ vocationis, quia alias supponendum esset, in resignatione non fuisse iustam causam. Nam supponamus, id quod in hac sacra Cautela necessario supponendum est, fingendum esse, ac si prior resignatio facta non esset, simul supponendum erit, causam non adfuisse prioris resignationis sufficientem. Deinde concludo: Aut prior resignatio habuit iustam causam, aut non habuit. Posterius resignans haud admittet, quia allegaret propriam turpitudinem, scilicet se contra conscientiam priorem vocationem resignasse, imo quoad effectus iuris interim pro iusta haberi deberet causa resignandi, quatenus a superiori admissa. Prius fit concedamus, iniusta erit postulatio, vt prior vocatio renouetur, quia continet dimissionem seu resignationem illius officii, quod iam tenet. Iam supponamus, velle resignantem redire ad pristinum officium, deberet allegare nouam vocationem, sine qua nemo transferri potest ad aliam Ecclesiam, ast noua vocatio non est renouatio prioris vocationis. Sed, inquis, nodum in scirpo quaris tuis subtilibus argumentis ex iure stricto petitis, modus non variat rem, reuera renouatio est noua vocatio, sed fit saltim alio modo, quam ordinaria vocatio. Egregium certe

*Obiectio, quæ  
modus non  
variet rem*



Philosophema! Dabo tibi aliud exemplum tuæ Philosophiæ conueniens. Ponamus, fuisse quem spoliatum omnibus bonis suis, ita vt ipsi ex illis nihil esset relictum. Spoliato postea in notitiam venit, vbinam ille raptor cum bonis spoliatis lateat, duplicemque sibi esse viam propositam videt, recuperandi bona amissa (1) vt iudicem adeat, & per legitimos tramites amissa recuperet, ducto ad supplicium latrone (2) Propria autoritate auferat bona ipsi ablata occiso proprio ausu latrone. Iam si spoliatus veller tecum eodem modo argumentari & dicere: modus non variat rem. Debent mihi restitui de iure bona ablata, adeoque perinde est, siue hoc fiat per iudicem, siue hoc fiat propria occupatione & occisione ipsius latronis. Certe hanc Philosophiam adhuc ignorat nostra Iurisprudentia, quin potius contendit, eum, qui proprio ausu res suas sibi vindicare satagit, amittere proprietatem rerum suarum *l. extat. 13. ff. quod. met. caus. l. si quis in tantum 7. C. vnde vi.* Si vrges, me Sophistam agere, dum vellem renovationem comparare cum hac iniuustissima methodo, suum recuperandi, tunc retorqueo, te inuertere meum argumentum, & me non facere comparisonem, aut argumentum ducere *a pari*, sed tantum axioma tuum infringere, *quod modus non variat rem.* Sed tamen, dicis, est hoc axioma iam canonicatum & in scholis receptum, adeoque secure hic etiam adhiberi potest. Sed regero, me non admittere aliquam canonicationem contra veritatem. Remouendum mihi ante omnia est dubium motum, & postea videbo, vtrum alia ratione ad illam regulam possim respondere.

§. XXIV. Denique & Consistorii seu Superioris auctoritatem hic requisui. Consistorii videlicet est, admittere resignationem, & nouas vocationes confirmare. Resignationes itaque admissas & in effectum deductas retractare nequit, quia ita ius quoddam vocandi sibi arrogaret, quod ipsi vtique non competit. Renouationem eodem modo confirmare nequit, quia sic factum proprium oppugnaret, admissionem scilicet resignationis,

honario est  
tra aucto-  
atem confi-  
ii.



tionis, quod itidem non admittendum; Imo cum saltem Confistorio competat *ius confirmandi* nouas uocationes, excederet limites suae potestatis, si uellet confirmare hanc renouationem. Imo ne quidem hic confirmationem aliquam praetendere posset: cum per hanc Cautelam omnia essent restituenda in priorem Statum, ergo etiam prior confirmatio reuiuiscere deberet. Sed ita fieret prauiudicium ingens Confistorio seu Superiori qui ius confirmandi habet, quin sic reuera quis in locum uacantem constitueretur, absque confirmatione, quod rursus est contra leges Ecclesiasticas. Aut igitur noua confirmatio accedit, aut non. Priori casu est noua uocatio, posteriori uero Confistorii ius laeditur. Quacunque ergo ratione hanc examino, nil nisi absurditates, contradictiones & laesiones aliorum iurium deprehendo & sic concludo, illam Cautelam esse iniquam, Legibus Ecclesiasticis contrariam, & sic a pio & prudenti Magistratu, qui simul prospicere debet, ne ambitiosi Clerici Ecclesiis praeficiantur, non admittendam.

§. XXV. Quae cum ita sint, dubia supra mota non tanti ponderis sunt, ut quidquam contra hanc sententiam facere possint. Quod enim haec Cautela sit connexa iuri uocandi, illud gratis dicitur, imo haecenus, ni fallor, satis superque demonstrauit, potius illam esse inuentam in fraudem legitimae uocationis, esse hanc uiam irregularem, insolitam, contra ordinationes Ecclesiasticas & contra praxin omnium Ecclesiarum. Quae enim ulterius in §. 8. adducta sunt de natura renouationis, partim supponunt plenum disponendi arbitrium, partim etiam non talem renouationem indignant, de qua hic quaestio est, adeoque hic quidem sunt *ἀνεσώτιστα*. Vnde cum nulla sit connexio inter ius uocandi & hanc renouationem, frustra quoque pro specie alicuius uocationis ventilatur, quae cum satis aperte ex antea dictis fluant, refutationi horum dubiorum ulterius inhaerere nolo.

*Respondetur ad rationes dubitandi. (1) Quod renouatio non sit connexa iuri uocandi.*



pondetur  
dubium  
ciam.

§. XXVI. Dubium vero tertium in §. 10. quod scilicet præiudicium reliquorum Ministrorum Ecclesiæ compensetur vtilitate, quam Ecclesia ex tali renouatione capit, est quidem *populare* sed non *eruditum*, h. e. plebi talia possunt persuaderi sed non eruditoribus. Illud vtique in thesi largior, vtilitatem Ecclesiæ esse præferendam vtilitati priuatæ, & quemlibet pium Ministrum Ecclesiæ vtilitatem propriam debere antepone re vtilitati Ecclesiæ, sed applicatio egregie deficere videtur. Certe in hac cautela vix alium supponere possumus casum, quam Ministrum Ecclesiæ alibi translatum anxie quærere proprio motu renouationem, adhortari eligentes instare & vrgere vel saltim prætere, se aliter redire non posse quam vt hac via extraordinaria ipsum recipiant. Ast quam vtilitatem Ecclesia ex talibus ambitiosis Clericis sperare potest? Illi reuera currunt non vocati, saltim non legitime, ast talis vocatio irregularis & ambitiosa damnanda est. Et prætextus saltim est, qui fingitur, versari hic vtilitatem singularem Ecclesiæ, cum DEI potius directioni relinquendum sit, vt ille mittat fidelem Pastorem. Hunc in finem etiam ante vocationem & electionem preces solennes in Ecclesia institui solent, quibus DEVS inuocatur, vt fidelem Ministrum gregi præficere velit. Ast quis lusum inde oriretur, si hanc renouationem supponere vellemus? Vel enim plane tales preces essent intermittendæ, & si rursus peccaretur contra Constitutiones Ecclesiasticas: vel adhibendæ, ast sic reuera in lusum puerilem conuerteretur totus actus vocandi, qui sinceris & ardentissimis precibus esset suscipiendus. Qua igitur conscientia hac sub Cautela Pharisæica tales Ministri priorem locum occupare possint, ipsi videant. Vtinam memores essent constitutionis illius, quam statim hunc in finem ab initio §. 2. adduxi! Vtinam a ICTo, Zieglerum intelligo, tales Theologi resistentiam addiscere possent. Sed hæc forte an talibus ieiuna esse videntur. Cur? quia humilitas ipsis etiam ieiuna esse videtur. Hinc vero promoueat vtilitatem Ecclesiæ?

§. XXVII.



§. XXVII. Quartum dubium eiusdem farinae est, eandemque fere responſionem meretur. Quid enim aliud ſignificat, *aliter honeſte tranſlatum redire non poſſe*, quam ambitioni & dignitati eius eſſe contrarium, occupare gradum in Miniſterio inferum. Aut itaque vocatio ad priorem Eccleſiam eſt divina aut non. Poſteriori caſu peſſime agit, ſi non vocatus populo ſe obtrudere conetur. Priori vero peſſime agit, ſi honorem dignitatem & ambitionis libidinem præfert vocationi DEI. Iam eligat, & ipſemet, qui hac Cautela vitur, rationes ſubducatur.

*Reſponſio ad quartum dubium.*

§. XXVIII. Vltimum dubium reſpicit circumſtantias particulariores, ſed parum illis fidendum eſſe apparet. Clamores populi hodie non ſunt amplius eiſmodi modi, quos per inſpirationem vocant. vid. Proſper Fagnan. in c. 42. n. 25. de Elect. Imo in c. Officiis 2. X. de Elect. diſerte ſtatuitur, *electum ad clamorem populi, non debere per Superiorem confirmari ob fraudes, quæ ſubefſe præſumuntur.* Bene Chryſoſt. lib. 1. aduerſ. Ioum. hac de re diſſerit inquiring: *Nonnunquam errat plebis vulgique iudicium & in ſacerdotibus comprobandis vnusquisque ſuis moribus fauet, vt non tam bonum, quam ſui ſimilem querat Præpoſitum.* Vnde etiam merito Zieglerus ad Lancell. lib. 1. tit. 18. §. 1. p. 105. hunc inordinatum plebis affectum, vt tales clamores nominat, damnat. Sed cum in aprico ſit, hodie nonnunquam plus æquo indulgenti eiſmodi plebis clamoribus, non pigebit hic adiacere pientiffimi Icti Brunnemanni iudicium lib. 1. c. 5. §. 8. Ita vero ille: *Non multum tribuendum eſt vulgi iudicio; quotusquisque enim eſt, qui, quæ partes officii Paſtoralis ſunt, intelligat, & qui requiſita Paſtoris ſciat, vt ea ad certam perſonam applicare poſſit.* Sepe vulgus in Paſtore laudat elevationem vel modulationem vocis, vel quod poſſit bene conſolari; cum tamen præſertim noſtro tempore non conſolationibus ſolum, ſed maxime acrioribus remediis opus ſit. Sepe admiratur vultus elegantiam, ſepe patriam & cognatos eius. Conf. Danhauerus in Theol. conſcient. p. 2. ſpec. dial. 3. queſt. 9 p. 732.

*Reſponſio ad vltimum dubium de clamore populi.*



Francisc. Hallier *de sacris Eleet. Sect. 1. c. 7. §. 3.* Baluzius *in not. ad Concil. Monsperl. fol. 33.* Satis conuenienter quodque dicitur *in c. 2. D. 62. Docendus est populus* (si clamorem excitat, & Ministrum Ecclesie pertinaci impetu experit) *non sequendus, nosque si nesciunt, eos, quid liceat, quidue non liceat, commonere, non his consensum praebe- re debemus: & in c. 5. D. 61. prohibetur ad tumultum popularem alicui credere Pastorale fastigium & gubernationem Ecclesie. Non enim est hoc consulere populis sed nocere, nec prestare regimen, sed augere discrimen. Principatus quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus aut actibus non offendit, ipsius tamen inuiti sui est perniciosisus exemplo. Et difficile est, v. bono peragantur exitu, que malo sunt inchoata principio. Quo etiam referri mueretur c. si ergo 16. C. 8. qu. 1. vbi dicitur, quod plebs saepe clamoribus ad gratiam aut ad pretium excitatis moueri solet. Vnde etiam in Concilio Laodicensi c. 13. non esse permittendum, patres censuere, turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promouendi. vid. c. 6. D. 63.*

§. XXIX. Concludo itaque renouationem vocationis resignatae ab his, qui ius vocandi habent, fieri non posse, videlicet his circumstantiis concurrentibus (1) vt, sub hac Cautela reuocandus in priorem restitueretur locum qui tamen amplius haud vacat. (2) & ita ingens praerudicium toti Ministerio venerando creetur: (3) licet vel maxime clamor populi accedat, quippe qui absque iusta causa, non potest ius alius quaesitum tollere aut leges Ecclesiasticas immutare (4) vbi iusta deest causa, qualis tamen fingi hoc in casu nequit, si quis per legitimam vocationem translatus sit ad aliam Ecclesiam, a qua reuocari nequit nisi per nouam vocationem legibus ecclesiasticis, conuenientem. Aliud forsitan esset in casu, si de facto tantum esset depositus Minister Ecclesie, de quo casu postea. (5) Licet pratendat reuocandus, se aliter redire non posse, nam sub hoc pratextu non bonum Ecclesie, sed bonum proprium, i. e. ambitu latrat.

§. XXX.

capientia-  
corum,  
etiam sunt  
34.



§. XXX. Ex hisce præsuppositis hæud difficile iam erit, *Vtrum Minister Ecclesie ad aliam Ecclesiam translatus prætere-  
re renouationem hanc in præiudicium Ministerii possit, & hac cautela uti?* Videlicet non hic est quæstio de casu, si Ministerium sponte iuri suo renunciat, quod omnino facere, sed minime cogi potest, si omnes, quorum interest, consentiant, si eius, qui ius confirmandi habet, accedat autoritas, si cum hac conditione translatum absque eiusdem postulatione & instantia vocent: Hisce enim circumstantiis suppositis nemo adeo negabit, vocationem ita fieri posse, sed etiam tunc non erit renouatio, sed noua vocatio, & sic noua in thronificatione opuserit. Nam eodem modo possit alius, qui nunquam in tali loco sacris vacasset, aut Ecclesie alicui præfuisset, vocari, eique honoratior locus in Ministerio offerri, si reliqui in Ministerio ius suum remittere vellent. Sed tantum quæritur, vtrum quis se ita Ecclesie de nouo obtrudere, & hac sub Cautela salua conscientia priorem locum inuitis reliquis in Ministerio prætere-  
re proprio ausu possit? Quod constanter nego, & omnes mecum negabunt, qui conscientie adhuc aliquo modo curram habent.

§. XXXI. Non iam pluribus demonstrabo, ne quidem *In iustitia huius ius Cautela foro externi* talem cautelam pessimam admitti posse in foro externo, cum in hoc etiam in genere secundum ius Nat. illa damnentur & prohibeantur, quæ sunt in præiudicium tertii, & ius quæsitum aliis tollunt: hoc enim hæctenus sufficienter, ni fallor, iam est ostensum. Ideoque tantum ostendendum, talem renouationem non posse esse diuinam: Nam hoc requisitum utique habere debet, quemadmodum ipsa vocatio, si salua conscientia reuocandus priorem locum occupare velit. Videlicet ostendit eiusmodi Minister Ecclesie 1) se currere non missum a DEO, contra monitum Pauli *Rom. X. 15.* Quomodo prædicabunt nisi mittantur *Ebr. V. 4.* conf. *Dn. Io. Frider. Meyer in Museo p. 1. c.*  
1. §. 1. Deus enim in tali renouatione concurrere nequit, quippe cum



cum hæc cautela tantum ad hoc sit inuenta, vt quis libidini propriæ & ambitioni indulgeat. At Deus eos tantum, qui humili spiritu inceduat nouit, non vero, quos praua superbi animi cupiditas regit. Debent esse Ministri Ecclesiæ sine macula & irreprehensibiles. *1. Tim. III. 2. 10. IV. 12. Tit. I. 7.* At hoc casu ad ingentem reprehensionem suppeditatur ansa. Debent esse exemplum gregis. *1. Tim. VI. 12. 1. Pet. V. 3.* Sed tales pessimum exemplum toti Ecclesiæ præbent, cum res pessimi exempli sit, tale n prætereundum renouationem. Debent esse imitatores Christi. *1. Cor. XI. 1.* Christus autem fuit humilis, omnemque honorem in hac mundo respuit. Sed quomodo talis Minister Ecclesiæ potest dici imitator Christi? Fidelis Minister Ecclesiæ debet Mysterium fidei in pura conscientia seruare. *1. Tim. III. 8.* sed ubi est pura conscientia, quæ ambitione & Pharisaica superbia & hypocrisis est repleta.

renouatio  
 & hypocrisis

§. XXXII. Latitat sub hac cautela 2) ingens hypocrisis. Externa blandis verbis Renouationem hanc in crustare, variisque coloribus aliquid iuris ei assignare conatur. Sed reuera prætextus iuris est, eoque magis damnandus, si a tali originem trahat, qui prætextus iuris in populo debet damnare. Externe profitetur ingentem amorem, quo complectatur adhuc gregem dimissum adeoque se optare, vt redire possit, sed non posse aliter honeste redire, quam sub hac cautela. Exhorret certe quilibet bonus ad talem nimis manifestam hypocrisis. Tales sunt, quales *Ezech. XXXIV. 2. 3. 4.* depingit, afferens: *Væ pastoribus Israelis, qui fuerunt pascentes eos. Nonne gregem pascent Pastores? At qui vos adipem comeditis, & lana vestimenti, pinguem ouem mactatis nec gregem pascitis. Infirmas oues non confirmastis, & agrotam non sanastis, & fractam non obligastis, & impulsam non reduxistis, & pereuntem non quaesistis, sed cum uoluntate dominati estis eis, & cum crudelitate.* Videlicet propriam utilitatem tales tantum quarunt, non utilitatem Ecclesiæ. Se ipsos pascere intendunt non gregem. Imo sunt tales de quibus



bus conqueritur Elſias *LVI. n.* Sie die Hirten wiſſen keinen Verſtand, ein teglicher ſiehet auß ſeinen Weg. Ein teglicher geizet für ſich in ſeinem Stande.

§. XXXII. Imo 3) cum ipſa renocatio per ſe ſatis periculofa ſit, ut ſtatim ab initio ſuppoſui; hinc renocatio ſub hac cautela peſſima eſt, eoque magis reprehendend. Itaque ſic infero: aut, ſi renocatur Miniſter Eccleſiæ iam translatus ad aliam Eccleſiam, illa vocatio eſt a DEO aut non. Si poſterius, contra conſcientiam agit, quod ſe offerat & quaſi obrudat populo, quod nemo ſanſus in dubium vocabit: ſi prius, ſequi vocem Domini ſimpliciter debet, ſed ſi iam recuſat venire, niſi reſtituatur in priſtina iura, iam contra conſcientiam agit, quin liquido oſtendit, ſe non vocationi diuinæ, ſed propriæ libidini morem gerere. Antequam hoc argumentum diluatur, ego talem cautelam admittere ſalua conſcientia non poſſum.

§. XXXIV. Quilibet quoque Miniſter Eccleſiæ 4) obligatus eſt, ut leges Eccleſiaſticas ſalvas & illibatas conſeruet, & præcaueat, ne quid in earum præiudicium fiat. Ego vero hæcenus, ni fallor, abunde docui hanc cautelam & ſanæ rationi & Legibus Eccleſiaſticis repugnare; ergo qui tali cautela utitur, is ille eſt, qui leges Eccleſiaſticas conculcare annititur, quas conſeruare debebat.

§. XXXV. Nouum mihi aliquod argumentum ſubnaſcitur ex doctrina Dn. Io. Frid. Meyeri in *Muſeo p. 1. c. 1 §. 2.* inquit: *Vt vocatio ſit legitima, requiritur, recte ſe habeat 1) vocandus, 2) vocans, 3) vocationis media, 4) vocationis formula.* Satis apte prælaudatus Autor hic inceſſit. Sed iam applicatio deficit in noſtro caſu. Non recte ſeſe habet vocandus, quod hæcenus oſtenſum. Conf. omnino *Ziegl. de Epifc. lib. vii. c. 8 & 9.* Egreſſia eiſmodi Miniſtri Eccleſiæ ambitione plane æſtuantis imago nobis ſiſtitur *Ierem. XXIII.* Minus recte ſeſe habet vocans, cum limites poteltatis ſuæ transgrediatur, & inuito vniuerſo Miniſterio aliquem Eccleſiæ præficere conetur. Conf. prælaud. Dn. Meyer *cit. l. p. 102.* Peſſime vero ſeſe habent hic

*Si vocatio  
alias eſt leg  
tima, illegit  
ma eſt hac  
cautela.*

*Conculcan-  
tur inde Lt  
Eccleſ.*

*Deficiunt  
hic requiſit  
legitima vo  
cationis.*



vocationis media. Quid enim est renouatio talis, nisi Cautela pessima seu color quidam, per quem quis magis obtruditur Ministerio, quam quod legitime ei inferatur. Denique vocationis formula recte sese habere nequit, quoniam talis non vocatur, sed ipse currit. Formula autem vocationis sese conformare debet ad ipsam vocationem.

non certo  
casus talis  
renouatio  
hinc pos-  
sit?

§. XXXVI. Ergone tandem plane omnis renouatio prioris vocationis erit reprobanda? Ita quidem est, si sub hisce coloribus prætendatur. Verum quemadmodum in iure duplex datur restitutio, altera *gratie*, altera *iustitiæ*, ita vt illa ex iure dispensandi fluat, hæc vero locum habeat, si inique quis condemnatus fuerit, & post eius innocentia appareat: quo casu restitutus ex capite *iustitiæ* merito pristina iura ex debito iustitiæ recipere debet; ex capite vero *gratie* tantum illa, quæ Princeps ei de nouo indulgere voluit: ita simile iudicium formandum est in renouatione vocationis resignatæ. Renouatio ex capite *gratie* hic ægre locum habere potest, tum, quia hic semper supponitur calus, vbi quis sponte resignauit, cum tamen restitutio *gratiæ* tunc ordinarie locum habeat, si iuste quis ob male merita officio priuatus: tum etiam, quia gratia Principis non potest vergere in præiudicium tertii, cui iam est ius quæsitum; tunc enim gratia talis foret summa iniustitia. Vnde etiam in iure Romano restitutio *gratiæ* non habet hunc effectum, vt restitutus etiam bona recipiat illa bona, quæ interim a fisco legitime sunt alienata. l. 2. §. merito & §. si quis ff. ne quid in loco publ. Clar. lib. 5. sentent. §. fin. qu. 59. n. 6. Gail. de Pac. Publ. lib. 10. c. 19. n. 20. 21. Alia ratio est si renouatio talis fieri deberet ex *Capite iustitiæ*: tunc enim, sicuti restitutio iustitiæ omnia iura restituit etiam bona alienata fructus &c. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. D. 31. th. 7. lit. c. ita quoque omnino talis renouatio esset admittenda. Ponamus enim, fidelem & pium Ministrum Ecclesiæ fuisse iniuste depositum, vel in exilium missum, quod forsan plebis aliorumue insaniam indulgere noluerit. Nihil certe tunc iustus & æquius foret, quam

recte renouatio adhibetur tunc si quis iniuste priuatus & officio.



quam sedata paulisper hac infania hunc reuocare & in pristina restituere iura. Neque enim aliqua vacantia inducitur, vbi tantum *de facto* quis est depositus: vid. Engel *ad tit. X. de Concess. præbende n. 2.* adeoque non dici potest, locum hunc iam fuisse ab aliis ipso iure occupatum. Exempla recentiora non attingam, quia forsitan odiosa & in praxin non adeo deducta. Interim facies illius temporis, vbi ardor hæreticos declarandi inceserat Clerum, multa exempla præbet eorum, qui iniuste propter veritatem in exilium missi, aliquando quidem restituti, aliquando vero furori Cleri cedere debuerunt. De Athanasio hystoria plenæ sunt, sæpius depositus est, aliquoties vero restitutus, vbi tamen iudicium meum suspendo, vtrum legitime depositus fuerit nec ne?

§. XXXVII. Potuissimus hac disputatione de hac impia *Conclusio* Cautela, quæ hactenus forsitan non adeo nota fuit, supersedere, nisi prauitas seculi & hominum astutia illam extorsisset: vbi sæpe, qui rem superficiare tantum considerant, falluntur, vt adeo necesse fuerit, iniustitiam penitus excutere. Examinaui rem in thesi ex legitimis principiis iuris, quod nemini fraudi esse poterit, ita vt cum Grotio *in prolegom. ad Ius, B. & P. §. 58.* vere profiteri possim, sicuti Mathematici figuras a corpore se motas considerant, ita me in quæstione hac tractanda ab omni singulari facto abduxisse animum. Hinc eo confidentius iniustitiam huius materiæ ostendere potui. Ex qua sinceritate mentis vero hoc iudicium permanuit, eadem quoque vt præsentem laborem B. L. velit diiudicare, liberumque ab omnibus animi passionibus ad eius lectionem afferre animum, officiose rogo, id quod si impetrauero, eo ipso eius assensum haud vane mihi promitto. DEUS vero *renouet nosmet ipsos, vt indices resignemus veterem hominem, & renouati in spiritu exurgamus, ad digne suscipiendam vocationem* ad quam destinati sumus.

FINIS.

CO:



## COROLLARIA.

- I. Obseruantia Imperii non est consuetudo proprie dicta.
- II. Renouatur quidem locatio in prædiis vrbanis tacite, sed non ita, vt ad idem tempus censeatur renouata, ad quod prior locatio erat extensa.
- III. Non potest actioe iniuriarum conueniri, qui alteri obicit, eum non esse regenitum aut renouatum in spiritu.
- IV. Renouatio de quinquennio in quinquennium non necessario fieri debet in precaria.
- V. Pupillus sine autoritate Tutoris feudum antiquum renouare potest.
- VI. Principes Imperii in Renouatione feudorum Imperii videntes formula getreu Hald Gehorsam und gewärtig non præstant eo ipso Homagium.
- VII. Nemo potest propria autoritate *resignare* matrimonium, bene tamen resignatum renouare, & in hoc casu non adeo inconueniens esset renouatio resignati matrimonii.
- VIII. Renouatio feudi petenda est intra annum, nec præcise mensis vltra annum requiritur.
- XI. Si duo contendant de feudo, renouatio interim petenda a possidente. Hinc lite inter Palatinum & Bavarum pendente, si inter regnum obueneret, pendenda esset renouatio a Bauaro in possessione constituto.
- X. Non adeo improbabile est, hominem naturaliter quoti die renouari.
- XI. Haud renouati in spiritu haud legitime possunt dici Vocati ad Ministerium sacrum.
- XII. Caducitatem ex omiſsa renouatione Dominus feudi remittere potest, dissentientibus licet agnatis.











ULB Halle

3

003 891 690




f  
sb.











DISPV TATIO IVRIS ECCLESIASTICI <sup>1072</sup>  
De <sup>1702 80</sup>

# RENOVATIONE VOCATIONIS RE- SIGNATAE, <sup>76</sup>

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO  
WILHELMO,**

REGNI BORVSSICI, ELECTORATVS BRAN-  
DENBURGICI ET PROVINCIARVM HEREDE,  
ET RELIQUA,

*In Regia Fridericiana,*

PRAESIDE

**DN. IVSTO HENNINGO *Böhmer***

**I. V. D. & PROF. PVBL. EXTRAORD.**

IN AUDITORIO MAIORI,

*D. Decembr. MDCCII.*

publico & placido eruditorum examini sistit

**IOANNES CHRISTOPHORVS VLTPIVS,**  
Vinariensis.

---

RECVS. HALAE MAGDEBURGICAE,  
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.